

(29) Generosissimo Equiti
 Experientissimoque Archiatro

Carolo Linnæo

M. P. F.

Kratzenstein.

Antehac in rebus scientificis dulcissimo Tecum litterarum commercio uti mihi licuit. Liceat mihi jam aliqua vice, in oeconomicis rebus fraterculi mei Upsaliensis, paternam Tuam intercessionem vel mediationem erogare. Curator bonorum ipsius una mecum omnino ipsi maxime proficuum fore iudicavit, si is fructuosissimis Tuis doctrinis per aliquod tempus imbui possit & paullo ultra vulgus pharmaceutarum sapere discat; nosque ambo illam pecuniam tamquam optime collocatam consideramus, quæ ad scientiam ipsius perficiendam impenditur. Sed quis expectasset a juvene, quantum ad externam formam non dissoluto, illum adeo prodigum fore, ut, licet honoraria Professoribus debita nondum exsoluta fuerint, ille tamen superinduxerit æs alienum 300 propemodum imperialium danicorum. Non ignotum Tibi erit, Vir generosissime, curatores bonorum ex officio eo respicere debere, ne plus pecuniæ profundatur a curando, quam annui reditus ex patrimonio hoc ferunt; eumque cavere debere, ne præter summam necessitatem de capitali summa aliquid detrahatur. Accedentibus vero denuo desideratis 300 imperialibus ad priorem acceptam summam, fraterculus meus annuo spatio proportionalem summam 444 imperialibus danicis non minorem profudit, quæ portio sane ejus annuos reditus multum transcendit. Non audemus adeoque hanc denuo ab ipso desideratam summam illi ipsi transmittere, ne denuo eadem profundatur; sed Te, Vir generosissime, humanissime rogamus, ut in hoc casu paternum officium fraterculo meo præstare velis; scilicet: ut ex eo exquiras specificationem æris alieni ab ipso contracti: ut jubeas ipsum, ut sine mora abitum paret: ut cautionem de ipsius ære alieno jam tum contracto (non vero denuo contrahendo) in Te benevole suscipias: ut denique de summa ad Te una cum hisce litteris transmissa ipsi tantum